

1509 *gem ferendam, ut Patavium recipiatur. Res me publica impellit, quæ mihi est mea vita charior: ad quam unam cum meorum civium commoda atque utilitates adjungantur, quid est quod aut me, aut quenquam civem bonum atque industrium detertere a suo suffragio probanda lege debeat? Supereſt pars illa plena formidinis, ut negotio capeſſendo deſiſtamus: ne ſi ea re hoſtes noſtros irritaverimus, illi inter ſe ad reliqua noſtræ ditionis adorienda iterum parati atque animati conveniant: quaſi aut facillimum eis ſit, tantos exercitus comparare atque cogere: aut ex regia dignitate videatur eſſe, Aloiiſum, qui ſuum in regnum ſe recipit, ſtatim in Italiam recurrere, ut Maximiliano præſto ſit: aut ignoremus Ferdinandum noſtris potitum oppidis, ne unum quidem numum ulterius in bellum inſumpturum: aut Maximilianus abundare theſauris conſueverit ad copias contrabendas, qui duorum menſium ſpatio pauculas cohortes prope nudas ad Veronam, Vicetiam, Patavium tuendum vix ægreque miſerit: aut Julius, quo deſiſſus atque abjectius cum illo agimus, eo non majores ſumat in nos ſpiritus, durioſorem ſequē atque implacabiliorem multo præbeat. Quod ſi intelliget Patavium receptum, nobiſque priſtinam ineſſe virtutem ac vim ſentiet, non deſpiciet tam arroganter eos, quos obeſſe ſibi poſſe aliquando verebitur. At etiam veremini, hæc ne urbs parens noſtra in hoſtium noſtrorum poteſtatem redigatur? quid, vos quaſo, intereſt, urbs ne ipſa in poteſtate ſit hoſtium, an ejus incolæ ac cives, quique illam regimus, omnia quæ hoſtes noſtri velint, atque optent, ſtatua-
mus? Optabile illis eſt Patavium non recipi, ut eo ipſi oppido una cum reliquis pacate frui poſſint: optabile etiam eſt ut Tauriſum, Julique forum, tractumque hunc Venetiæ, qui nobis reliquus eſt, ipſis, ut alia multa tam præclara dedimus, etiam tradamus: vos eis morem gerere vultis. Hoc ne hanc urbem ſervire non eſt? hoc non eſt eam ſuorum hoſtium eſſe factam? non eſt libertatem reipublicæ, quæ una cum hujus urbis parietibus ſemper crevit, quam majores noſtri nobis integram atque intactam reliquerunt, prorsus atque omnino perdidiffe? Si majores iidem noſtri ab ea cœli regione, in qua beatiffimi ſempiternam vitam agunt, hic exiſtant, atque ad vos converſi ejus-
modi*